DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
BAPTISMO
ET INPRIMIS DE ANTIQVIS CIRCA EVM RITIBVS.

QVAM

AVSPICE DEO OPT. MAX.

VENERANDI ET AMPLISSIMI THEOLOGORVM COLLEGII PECVLIARI INDVLTV,

FRIDERICVS VLRICVS CALIXTVS

ET

HENRICVS LINDES

CELLENSIS


IV Nonarum Novembris

IN AVDITORIO DOMESTICO EXAMINI STVDIOSORVM SVBMITTVNT.

HELMESTADI,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT HENNINGVS MVLLERVS.

CIϽ IϽ C L.



SERENISSIMO PRINCIPI
ET DOMINO

GEORGIO WILHELMO,

DVCI BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

SALVTEM ET FELICITATEM.

QVamvis eruditio omnis, Sereniſſime Princeps, quâ animi excoluntur, ſuam mereatur laudem, in magnâ tamen ſtudiorum varietate eminet illa, quâ Eccleſiæ & Reipublicæ incolumitas & ſalus nititur. Et quum DEVS Regibus ac Principibus, quibus populos gubernandos commiſit, non tantùm civilis reipublicæ, ſed etiam Eccleſiæ curam & patrocinium demandarit, in proclivi eſt æſtimare quanti eorum interſit, ut in promtu ha-

beant, quibus in tantâ rerum mole tanquam instrumentis utantur, nec aut carendi, aut è longinquo & foris petendi incumbat necessitas. Magni igitur & sapientes Principes judicarunt, se patriam majore nullo & magis in posteros redundaturo beneficio afficere posse, quàm si eam academiâ locupletarent. Ita judicavit Princeps gloriosæ memoriæ IVLIVS, hujus Guelficæ academiæ, cujus natalem LXXV ante paucos dies celebravimus, fundator. Ita judicarunt tanto patre & avo dignissimi filius & nepos, sapientissimus HENRICVS IVLIVS, & mitissimus FRIDERICVS VLRICVS, in cœlestem patriam pridem recepti, quum inter mortales agerent, conservandæ suæ Iuliæ non minùs satagentes, quàm in erigendâ operosus fuerat parens & avus. Visum autem est DEO opt. max. ut Heroibus hisce ad æternam gloriam translatis academia, quæ hactenus uni parti quasi propria fuerat, toti Serenissimæ familiæ communis redderetur. Quanti autem eam faciatis, qui in eorum locum successistis, & hodie Brun-

svicenses

ſvicenſes & Luneburgenſes provincias feliciter gubernatis, multiplicibus & evidentibus conſtat argumentis. Quin Viſitatione, quam nunc molimini, & cis paucos dies inſtituetis, id unicè intenditis, ut quæ diuturno & calamitoſo bello labefactata ſunt, in integrum reſtituantur; atque adeo Iulia Veſtra quò ſolidioribus innititur fundamentis, eò feliciùs cum Deo propitio perennet. Id verò palmarium eſt, quod Ipſi egregiâ eruditione inſtructi exemplo Veſtro noſtratem juventutem excitatis. Quibus proinde haut ingratum fore exiſtimandum eſt, ſi academiæ Veſtræ ditionumque Veſtrarum alumni id agant, ut quibus ſtudijs potiſſimùm occupentur, Vobis, in quorum patrocinio & benignitate ſpem ſuam locarunt, innoteſcat. Quidquid itaque ſive primitiarum ſive ſpeciminis loco obtulerint, ſerenâ fronte acceptum iri clementiſſimus in ſtudia ſtudiorumque cultores affectus perſuadet. Sereniſſimo Avgvsto excelſiſſimæ Veſtræ familiæ Seniori incluto, ——*meritò cui doctior orbis*

Submiſſus defert faſcibus imperium,

 Ejuſq;

Ejusque Celſitudinis Illuſtriſſimis Filiis, Dominis meis clementiſſimis, me coràm ſiſtendi obſequiumque teſtandi aliquoties obtigit felicitas. Et dum ſpero vel exſpecto, parem aliquando, quod Tuam, Sereniſſime Princeps, Tuorumque Fratrum, Dominorum itidem meorum clementiſſimorum Celſitudines attinet, oblatum iri, interea humillimum affectum vel tenuibus ſcriptis teſtandi ardor inceſſit. Grande deſiderium intra anguſta animi ſepta cohiberi diutiùs neſcium, laxatis quibus circumſcribebatur limitibus, tandem erupit. Et quum deterrere potuiſſet conatuum meorum exilitas, ne tantis Principibus offerrentur, formidinem tamen derterſit, & ut auderem invitavit adeo nota & paſſim deprædicata benignitas. Tractatum itaque de Igne Purgatorio Celſitudinis Tuæ Fratri, Sereniſſimo Principi Christiano Ludovico, Domino meo clementiſſimo, humiliter obtuli: quem ſereno vultu exceptum eſſe magnopere gaudeo. Pari comitate exceptum iri hoc devotiſſimi pectoris documentum, quod Tuo, Sereniſſime

Geor-

Georgi VVilhelme, conſpectui nunc ſiſto & ſubmitto, planè confido; Devmque opt. max. ſupplex veneror, ut Celſitudini Tuæ annos plurimos, valetudinem firmam & regimen feliciſſimum, Eccleſiæque univerſæ, inprimis harum ditionum, totique Imperio quietem & ſolidam proſperitatem propitius indulgeat. Faxit is ipſe, ut quæ imminet benigniſſimis auſpiciis Veſtris inſtituenda Viſitatio academica, non modò vulneribus, quæ diuturna temporum perturbatio inflixit, medeatur, ſed cicatrices ipſas, ne quæ priſtinarum adverſitatum veſtigia ſuperſint, aboleat. Cedant autem omnia in nominis divini gloriam, & reſpirantis patriæ præſidium perpetuumq; emolumentũ. Quoniam verò de academiâ ſermo eſt, non poſſum quin ſubjungam ΕΓΚΩΜΙΟΝ ΑΚΑΔΗΜΙΩΝ, quod ante annos propemodum quadraginta conſignavit Iohannes Caſelius, vir magnæ ut famæ, ita quoq; eruditionis & prudentiæ, & inſigne non modò hujus academiæ, ſed univerſæ Germaniæ ornamentũ. Eſt, inquit, aca-

demia

demia (esse profectò debet) nihil aliud, quàm arx sapientiæ, templũ veritatis, scientiarum thesaurus, omnium liberalium artium mercatus, modestiæ & humanitatis palæstra, amicitiæ & humanarum virtutũ officina, civilium instrumentorum armamentarium, mirabilium animi voluptatum paradisus, atq; fons universæ in hisce terris vitæ beatæ, deniq; etiam aurora quædam, communis omniũ salutis prænuncia. Faxit DEVS, ut hæc elogia non modò in hanc Iuliam, in quâ ista scribo, sed in universas Germaniæ, imò Christiani orbis academias reapse competant. x Kl. Novemb. CIↃ IↃ C L.

Serenmæ Celnis Tuæ

subiectissimus & devotissimus cliens

FRIDERICVS VLRICVS CALIXTVS.

DE BAPTISMO, ET INPRIMIS DE ANTIQVIS CIRCA EVM RITIBVS.

BAptismus est actio ab ipso Christo, θεανθρώπῳ servatore nostro instituta, quâ, quicunq; Christo nomen dare, & ecclesiæ Christianæ inseri cupiunt, tam fœminæ quàm mares, tam infantes quàm adulti, aquâ sive per immersionem sive per adspersionem abluuntur, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, ut ipsis hoc ritu significante & simul quod significat efficiente, remissionis peccatorum, regenerationis & adoptionis gratia vel conferatur, vel confirmetur & obsignetur.

II. Auctor baptismi est, ut dictum jam fuit, Christus servator: qui quemadmodum ritus circa manducationem Agni Paschalis observari solitos ad sublimioris & sanctioris actionis rationem & effectum transtulit; ita quoque baptismata vel ablutiones: quales juxta legem Mosaicam *diversæ sive variæ* in usu erant, quamquam non facientes nisi *ad carnis* vel externam *puritatem*, sicut docetur Heb. XI, 10 & 13. De quibus videri potest Levit. XIV, XV, XVI: Deut. XXIII, 11. Tradunt Magistri Judæorum, baptismum sive ablutionem tunc quoque adhibitam fuisse, quando gentiles in proselytos transibant, & populo

Iudaico inserebantur, sine dubio ut per eam indicaretur sordes vitæ & morum esse detergendas, & operam dandam mundiciei. Hunc inquam sive Mosaicum sive Iudaicum ritum sanctiore itidem modo & fine usurpandum Servator noster constituit & ordinavit. Quem etiam ipsum jam ante ad inchoandæ novæ & innocentis vitæ initium instinctu divino transtulerat Iohannes baptista.

III. *Iesus tamen ipse non baptizabat, sed discipuli ejus*, Ioh. IV, 2. Quibus etiam in cœlum adscensurus mandavit, ut profecti docerent omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Matt. XXIIX, 19. Exinde igitur, atque adeo etiam hodie baptismum per Ecclesiæ ministros ordinariè administrari par est.

IV. Ordinariè inquam: quemadmodum enim aliàs in casu necessitatis, & ubi viri, qui præstent, desunt, fœminis munus docendi aliquando obire licet; ita etiam ijsdem in pari casu baptismi ministrationem hautquaquam derogabunt, quicumque regenerationis lavacrum infantibus necessarium judicant. Iohannes Oecolampadius epistolâ ad Berchtoldum Hallerum, ecclesiasten Bernensem: *Neq;* L. I. epist. Oecol. & Zvvingl. *ego superstitionem dixerim mulierum, si infirmos pueros tingi festinent.* De ministro autem baptismi in hunc modum loquitur Tertullianus De baptismo c. XVII: *Dandi jus habet summus sacerdos, qui est episcopus. De-*

bius

hinc presbyteri & diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem. Quo salvo salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest. —— Sufficiat scilicet, ut in necessitatibus utaris, sicuti aut loci, aut temporis, aut personæ conditio impellit. Tunc enim constantia succurrentis, in detrectando videlicet, *excipitur, quum urget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare, quod liberè potuit.* Hieronymus dialogo adversus Luciferianos: *Sine chrismate & episcopi jussione neq presbyter neq diaconus jus habent baptizandi. Quod frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis.* Augustinus libro secundo contra epistolam Parmeniani, cap. XIII: *Nullâ cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum est.* Canon XCIX Concilij quarti Carthaginiensis ita habet: *Mulier quamvis docta & sancta viros in conventu docere non præsumat.* Sequitur mox canon centesimus: *Mulier baptizare non præsumat*, nempe ut præcedente canone dictum, *in conventu*, & citra urgentissimam necessitatem.

V. Quum qui baptismum confert, ejus essentiam non ingrediatur, validè & efficaciter administrabitur ab omnibus, qui quæ ad essentiam ejus faciunt, ritè exsequuntur, sive illi sint pij sive impij, sive orthodoxi sive hæretici: licet enim ipsi veraces non

non sint, quod dant tamen verum est, quum non dent suum sed Dei. Quod ipsum adversus Donatistas multis adseruit & demonstravit Augustinus.

VI. Materia & forma substantiarum propriæ sunt, & quidem corporearum. Transferuntur tamen vocabula ad res etiam alias significandas & declarandas; uti hìc actio secundum se vulgaris, nempe ablutio vel mersio, per adjunctam aliam haut vulgarem, pronunciationem videlicet formulæ à Christo sancitæ, redditur sacra actio, sive contrahitur ad esse actionis sacræ, habentis sacrum & supernaturalem effectum. Ablutio igitur hìc subit vicem materiæ, pronunciatio verborum *In Nomine Patris Et Filii Et Spiritus Sancti*, formæ. Absque hac enim si sit, nihil fuerit externum & sensibile, quo ex institutione Christi sacra hæc lotio distinguatur à vulgari, sive in esse actionis sacræ constituatur. Nec Christus distinctè protulisset trium divinarum personarum nomina, si nihil aliud voluisset, quàm mandato divino baptismum esse administrandum; & non voluisset in ipso baptismi actu tres hasce personas distinctè nominari. Hinc Cyprianus epistolâ LXXIII: *Ipse Christus gentes baptizari jubet in plenâ & adunatâ Trinitate.*

VII. Ablutio itaque proxima baptismi materia. Remotior materia, vel in quâ fit ablutio, est aqua, aliàs ad abluendum per naturam apta, & passim obvia.

via. Hinc Ephes. v, 26: *Christus mundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo.* Et *nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest introire in regnum Dei*, Ioh. III, 5. Iohannes baptizabat in Iordane, Matt. III, 6; Marci I, 5: *in Ænon prope Salim, quoniam aquæ multæ erant illic*, Ioh. III, 23. Sic etiam sub initium Ecclesiæ Apostoli & eorum discipuli in aquis, in quas fortè incurrerent, baptizabant, ut constat ex historiâ Philippi & Eunuchi, Act. IIX. *Nulla distinctio est*, ait Tertullianus, *mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur: nec quidquam refert inter eos, quos Iohannes in Iordane & quos Petrus in Tiberi tinxit.* *De baptismo cap. 4.*

IIX. Materia circa quam vel objectũ hujus, de quâ agimus, ablutionis sunt homines, quos sub initium diximus: ijq; vel adulti, sive qui suo ipsorum arbitrio reguntur, & quid petant aut agant ipsi intelligunt; vel infantes, quorum nomine petant sive parentes, sive alij, in quorum potestatem transierint, & qui ut in religione Christianâ educentur, præstare possint. Baptismus enim est *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*, sive à Spiritu sancto productæ & factæ, Tit. III, 5. Qui itaque regeneratione & renovatione indigent, illis quoque necessarius est baptismus. At infantes indigent. Nam *quod natum est ex carne, caro est*: & propterea *nisi quis fuerit genitus ex aquâ & Spiritu, non potest introire in regnum Dei*, Ioh. III, 5 & 6. Nec aliud est medium divinitus ordina-

tum, quod infantibus applicari possit. Igitur *in tota Ecclesiâ propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari non posse*, ut scribit ad Hieronymum Augustinus. Et in Genesin libro x, cap. xi: *Parentes ad percipiendam gratiam sancti baptismi etiam cum parvulis & infantibus currunt.* Augustino antiquior Cyprianus obnititur Fido, qui dicebat *infantes intra secundum vel tertium diem, quo nati sint, constitutos baptizari non debere*, sed exspectandum, sicut in circumcisione, octavum. Irenæus libro II, cap. xxxix: *Omnes venit per semetipsum salvare* Christus: *omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores.* Observandum autem est primis Ecclesiæ temporibus & seculis baptismum adultorum frequentiorem fuisse quàm infantium: adultos verò baptizari non potuisse vel debuisse, priusquam summam fidei ad salutem necessariæ edocti essent & profiterentur. Quamdiu docebantur, catechumeni vocabantur; & eorum institutio catechesis. Quæ tamen peculiari industriâ circa illos occupabatur, qui nomina sua dederant & Competentes vocabantur. Ad eos habitæ catecheses τῶν φωτιζομένων Cyrilli Ierosolymitani, quæ unà cũ Procatechesi exstant, numero octodecim. Quinque verò, quæ sequuntur, mystagogicæ apud recens baptizatos dictæ sunt. Observandum etiam hoc est,

Epist. 28.

Epist. 59.

post

post finem persequutionum, ubi tranquillitas data Ecclesiæ, exstrui cœpisse baptisteria, sive sacraria templis adjuncta, in quibus baptismus administraretur, & quidem in paratis ibi fontibus vel alveis. Baptismus enim per immersionem ordinariè peragebatur: adspersionem tamen, si aliter ægris & in lecto positis exhiberi non posset, probat & defendit Cyprianus epist. LXXXVI.

IX. De baptisterijs addemus, quod habet Onufrius Panvinius libro de præcipuis urbis Romæ basilicis. Antiqui, inquit, *post pacem Christianis datam fontes & baptisteria amplissima exædificarunt.* Observat autem *in multis civitatibus unum tantùm per singulas urbes fontem sive locum, quem Baptisterium vocaverint, prope majorem civitatis basilicam, condidisse.* Baptisterium ecclesiæ Lateranensi adjunctum, hodie adhuc reliquum, quamquam *omnibus ornamentis, quæ insignia fuisse vestigia subindicent, exspoliatum,* ita describit: *Totum est formâ octangulâ. In medio habet fontem in terrâ excavatum ad quinque ulnas, totum tabulis lapideis coopertum,* sive quà latera cinctum, *præter pavimentum, quod est è calce. Tribus gradibus in id descensus est.* Reliqua vide apud ipsum. Addimus etiam ex Anastasio bibliothecario descriptionem baptisterij à Leone tertio pontifice exstructi. *Baptisterium,* inquit, *quia jam præ nimiâ vetustate ruinæ proximum erat, & quia angustior locus populi existebat, qui ad baptismum*

ptismum veniebat, — in meliorem erexit statum, atque sacrum fontem in medio largiore spacio fundavit, & in circuitu columnis porphyreticis decoravit, & in medio fontis columnam posuit, & super columnâ agnum ex argento purissimo, fundentem aquam. Carolus Sigonius libro v de regno Italiæ privilegia nonnulla episcopis ab Imperatoribus Caroli magni posteris concessa recitat, in quibus *ecclesiæ baptismales* memorantur.

X. Adjecerunt autem veteres ritui primario, quem Christus instituit, alios quosdam facientes ad actum hunc ornandum, vel etiam ad significanda & adumbranda, quæ ad hoc mysterium pertinent; præsertim ex quo pace Ecclesijs redditâ peculiaria loca & certi fontes baptismo deputati. Pridem dabatur baptismus in aquis & fluvijs obvijs: inde verò cœperunt aquæ in illis, quos diximus, fontibus aut alveis benedici. Ambrosius, si tamen ille, libro primo de sacramentis, cap. v: *Usus hoc habet, ut antè fons consecretur, & tunc descendat qui est baptizandus.* Catechumeni, quando eò usque profecerant, ut symbolum sive summam religionis Christianæ se adsequutos esse & tenere existimarent, nomina sua professi baptismum petebant: & hinc Competentes dicebantur, & porrò nihilominus erudiebantur & ad suscipiendum præparabantur. Ambrosius epistolâ XXXIII: *Die dominicâ post lectiones atq; tractatum dimissis*

ſis Catechumenis ſymbolum aliquibus Competentibus in baptiſterijs tradebam baſilicæ. Hieronymus ep. LXI de erroribus Iohannis Ieroſolymitani, cap. IV: *Conſuetudo apud nos iſtiusmodi eſt, ut ijs qui baptizandi ſunt, per XL. dies publicè tradamus ſanctam & adorandam Trinitatem.* Auguſtinus in libro de fide & operibus cap. VI: *Quid aliud agit totum tempus, quo Catechumenorum nomen & locum tenent, niſi ut audiant quæ fides & qualis vita debeat eſſe Chriſtiani? —— Quod autem fit per omne tempus, quod in Eccleſiâ ſalubriter conſtitutum eſt, ut ad nomen Chriſti accedentes Catechumenorum gradus accipiant; hoc fit multo diligentiùs & inſtantiùs his diebus, quibus Competentes vocantur, quum ad percipiendum baptismum ſua nomina jam dederunt.* Iſidorus de officijs Eccleſiaſticis libro II, cap. XXI: *Competentes ſunt, qui jam poſt doctrinam fidei, poſt continentiam vitæ, ad gratiam Chriſti percipiendam feſtinant. Ideoq; appellantur Competentes, id eſt, gratiam Chriſti petentes. Nam Catechumeni tantùm audiunt, necdum petunt.* Hinc igitur in hoc inferiore gradu conſtituti Audientes quoque appellabantur, communi cum ſecundo Pœnitentum ordine vocabulo. Tertullianus libro de Pœnitentiâ cap. VI: *Nemo ſibi aduletur, quia inter Auditorum tirocinia deputatur, quaſi eò etiam nunc ſibi delinquere liceat. Dominum ſimul cognoveris, timeas. —— An alius eſt intinctis Chriſtus, alius Audientibus? —— Hæc prima Audientibus intinctio eſt, metus*

integer. — Itaq. Audientes optare intinctionem non præsumere oportet. Cyprianus *Optatum confessorem doctorem Audientibus constituit*, epist. XXIV. Victorinus rhetor Romanus, *ubi imbutus est primis instructionum sacramentis, non multò post etiam nomen dedit, ut per baptismum regeneraretur*, sicut scribit Augustinus Confessionum libro IIX, cap. II.

XI. Docebantur autem Competentes, quæ ita dilucidè alijs non exponebantur. Quin vetabantur Competentes, quæ audivissent, sive infidelibus, sive ipsis etiam Audientibus temerè enunciare: sine dubio ne summa Christianæ religionis mysteria imprudenter & intempestivè proposita hos turbarent, illis verò ludibrio essent. Quomodo enim mysterium Trinitatis ethnici irriserint, patet ex dialogo, qui Philopatris inscribitur, & Luciani dialogis adjungitur. Cyrillus Ierosolymitanus Procatechesi indicat, paganos, si incidissent in hominem, qui baptizandus esset, irrisisse & dixisse: *Ingredere aquam ut submergaris. Numquid enim adhuc civitas balnea non habet?* Ex eadem Procatechesi, quod paullò antè diximus, lectori dilucidiùs patebit. *Quum catechesis*, inquit, *recitatur, si catechumenus ex te quæsierit, Quid dicebant Doctores? nihil dicas externo: mysteria enim tibi, & spem futuri seculi tradimus. Custodi hoc mysterium retributori, nec unquam dicentem aliquem audi, Quid obest, si & ego didicero? Etiam ægroti vinum quandoq. postulant:*

ſtulant, quod ſi intempeſtivè illis detur, phreneſin conciliat: & duo hinc naſcuntur mala: nam æger interit & medicus malè audit. Sic & catechumenus, ſi audiat myſteria à fideli, phreneſin patitur: neſcit enim quid audiverit, & tamen arguit rem ignotam, & dicta irridet; fidelis verò tanquam proditor condemnatur. Iam ergò tu in finibus noſtris conſtitutus cave ne quid effutias: non quòd digna non ſint narratione ea, quæ ibi dicuntur, ſed quòd indignus eſt ille audire, cui refers. Fueras & tu aliquando catechumenus, neq. tamen propoſita myſteria tibi enarrabantur. Catecheſi eorum, qui illuminantur, ſextâ: *Eccleſia nunc myſteria enarrat ei, qui ex catechumenis egreditur. Non eſt moris ea ethnicis exponere. Ethnico enim myſteria de Patre & Filio & Sancto ſpiritu non enarramus: neq. de myſterijs apud catechumenos palàm verba facimus, ſed multa ſæpe occultè loquimur, ut fideles qui norunt intelligant, & non lædantur qui non norunt.* Procatecheſi etiam ſubjunguntur, quæ tamen ab alio, quàm auctore, videntur adjecta: *Catecheſes iſtas eorum, qui illuminantur, accedentibus quidem ad baptiſmum, & his qui hoc lavacrum habent iam fidelibus, legendas exhibeas: catechumenis verò, & alijs qui non ſunt Chriſtiani, ne dederis: alioquin redditurus es Domino rationem.* Synodus Alexandrina, in epiſtolâ ad omnes catholicæ eccleſiæ epiſcopos, quæ ab Athanaſio in Apologiâ ſecundâ producitur: οὐ χρὴ τὰ μυστήρια ἀμυήτοις τραγῳδεῖν, ἵνα μὴ ἕλληνες μὲν ἀγνοοῦντες

γελῶσι, κατηχέμενοι δὲ περίεργοι γενόμενοι σκανδαλίζωνται. *Non est fas mysteria non initiatis prodere, ne gentes ex imperitiâ derideant, catechumeni verò ex curiositate scandalum patiantur.* Theodoretus dialogo secundo: ὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν, εἰκὸς γάρ τινας ἀμυήτυς παρεῖναι. *Non decet manifestò proferre: verosimile enim aliquos adesse non initiatos.* Gregorius Nazianzenus sub finem orationis XL, de baptismo ad mox baptizandos dictæ: *Habes quæ de mysterio foras exportare, atq; ad vulgi aures efferre licet.* ἔχεις τῦ μυςηρίυ τὰ ἔκφορα, καὶ ταῖς τῶν πολλῶν ἀκοαῖς ὐκ ἀπόῤῥητα. Liber inter opera Ambrosij De ijs, qui mysterijs initiantur, cap. ultimo: *Mysterium ne divulgetur quibus non convenit, ne garrulâ loquacitate dispergatur in perfidos.* Huc spectat etiam illud, quod Chrysostomus multoties usurpat, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, *Norunt illi, qui initiati sunt.* Homiliâ XL in priorem ad Corinthios, *In memoriam*, inquit, *reducant, qui initiati sunt, verba, quæ tunc nocte illâ sacerdotes dicere jubent.—Et cupiam sanè verba clarè proferre, si per profanos illos liceret, nam hi difficiliorem nobis interpretationem reddunt: cogunt enim aut non clarè dicere nos, aut mysteria vulgare: dicam tamen, sed quantum fieri potest, adumbratè. Nam post arcana ista verba & metuenda, post horribiles canones dogmatum de cælo transmissorum, etiam hoc ad finem, quum baptizaturi fu-*

ri fu-

ri sumus, adjungimus; & dicere jubemus, Credo mortuorum resurrectionem; & super hanc fidem baptizamur. Nam istud ubi cum cæteris confessi sumus, ibi in fontem descendimus laticum sacrorum. Hunc tamen occultandi morem non puto ab Apostolis vel Apostolicâ ætate descendere; huicq; adsertioni fidem fecerit Iustini apologia posterior: sed fortè unà cum usu baptisteriorum cœpisse vel invaluisse. Celsus quidem Christianam *doctrinam clanculariam* sæpius appellaverat. Sed respondebat eo tempore Origenes: *Per totum orbem notior est Christianorum prædicatio, quàm Philosophorum placita. Quis enim Iesum è virgine natum & crucifixum ignorat? Quis resurrectionom ejus multis creditam, & denunciationem judicij, reddituri pro dignitate pœnas peccatoribus & justis præmia? Quin & resurrectionis futuræ mysterium vulgatum est, tametsi rideatur ab infidelibus. Quæ quum ita se habeant, perabsurdum est doctrinam hanc vocare clanculariam. Quod verò quædam insunt quæ non communicantur quibusvis, id non solius Christianæ doctrinæ proprium est, verùm etiam philosophicæ.* Hæc isto tempore Origenes. *1 contra Celsum, cap. 8.*

XII. Quoniam verò ab idololatriâ & cultu dæmonum ad religionem & fidem Christianam gentiles transibant, atq; adeo potestati dæmonū hactenus subditi fuerant: dæmones autem sibi deditos ad varia flagitia, sub prætextu etiam pietatis, ut scortationes & homicidia, (quod superiore seculo itidem a-

pud Americanos dæmonum cultores deprehensum fuit) impellebant: hinc itaq; factum, ut exorcismi & exsufflationes adhiberentur, ad significandum eos nunc è potestate dæmonum eripi & liberari, haut inferiore minúsve æstimando opere & beneficio divino, quàm quando ex corporibus humanis, quæ obsederunt, dæmones ejiciuntur. Ipsi quoq; catechumeni Satanæ ejusq; operibus renunciabant. Augustinus de fide & operibus cap. VI: *Intueamur eos, qui per annos singulos ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur,* sive explorantur quantum profecerint.

XIII. Quoniam autem infantes ita nascuntur, ut etiam ipsi obnoxij sint damnationi & sub potestate satanæ; inde itidem infantibus baptizandis adhibiti exorcismi. Hinc igitur Augustinus contra Pelagianos peccatum originale inficiatos argumentum depromit, nempe Ecclesiam infantibus exorcismos adhibentem hoc ipso agnoscere & profiteri, quod eâ, quâ diximus, conditione in lucem prodierint. De nuptijs & concupiscentiâ libro I, cap. XX: *In veritate, non in falsitate potestas diabolica exorcizatur in parvulis; eiq; renunciant, qui per sua non possunt, per corda & ora gestantium, ut eruti à potestate tenebrarum in regnum sui Domini transferantur. Quid ergo in eis est, per quod in diaboli potestate teneantur, donec eruantur inde per sacramentum baptismatis Christi, quid est nisi peccatum? --*

Nullum

Nullum autem peccatum parvuli in suâ vitâ commiserunt proprium. Remanet igitur originale peccatum, per quod sub diaboli potestate captivi sunt, nisi inde lavacro regenerationis & Christi sanguine redimantur. Libro II, cap. IIX: *In Ecclesiâ toto orbe diffusâ ubiq omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis princeps mundi mittatur foras.* Vide etiam contra Iulianum libro I, cap IV; & epist. CV in fine. Contra Pelagium & Celestium libro II, cap. XL: *Parvuli in peccatorum remissionem non fallaci sed fideli ministerio baptizantur: etiam priùs exorcizatur in eis & exsufflatur potestas contraria; cui etiam verbis eorum, à quibus portantur, sese renunciare respondent.*

XIII. Nempe quæ circa adultos peragebantur, circa infantes etiam observabantur, ut esset paritas rituum circa utrosque, & sub pari obligatione utrisque baptismus conferretur. Quæ igitur hi per se respondere & promittere & profiteri non poterant, eorum nomine responderunt & promiserunt & professi sunt susceptores, quos *Patrinos* aliqui nominant. *Sponsores* vocat Tertullianus libro de baptismo, cap. XIIX. Spondent enim hoc ipso, se curaturos, ut in fide & pietate Christianâ, quos baptizandos offerunt, quibusque baptismum conferri petunt, educentur. Augustinus de peccatorum meritis libro I, c. XXXIII: *Ubi parvulos ponimus baptizatos nisi inter fideles? -- hoc enim eis acquiritur per virtutem sacramenti & offerentium*

tium responsionem. Ipsos etiam parentes aliquando obtulisse liquet ex epistolâ XXIII. Interrogat enim Augustinum coëpiscopus Bonifacius: *Quid est illud, quòd quando ad baptismum offeruntur, pro eis parentes tamquam fidedictores respondent, & dicunt illos facere, quod illa ætas cogitare non potest? Interrogamus enim eos, à quibus offeruntur & dicimus, Credit in Deum? de illâ ætate, quæ utrum Deus sit ignorat. Respondent, Credit.* CXVI sermo de tempore ad Competentes dirigitur. In eo susceptores jubet agnoscere *se fidejussores esse baptizatorum. Pro ipsis enim,* ait, *respondent, quòd abrenuncient diabolo, pompis & operibus ejus. Et ideo tam illi qui excipiunt, quàm qui excipiuntur, id est, tam patres quàm filii pactum, quod cum Christo in baptismi sacramento conscribunt, custodire contendant.*

XIV. De renunciatione Tertullianus libro de coronâ militis, cap. III: *Aquam adituri ibidem, sed & aliquanto priùs in ecclesiâ sub antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo, & pompæ & angelis ejus.* Ambrosius Hexaëmeri lib. I c. IV: *Derelinquit & deserit qui abluitur intelligibilem* sive spiritualem *illum Pharaonem, principem istius mundi dicens: Abrenuncio tibi diabole, & angelis tuis, & operibus tuis, & imperiis tuis.* Vide etiam De iis qui mysteriis initiantur cap. II; & De sacramentis lib. I, cap. II. Et hujus renunciationis passim apud veteres mentio. Bene auctor Tractatus De rectitudine catholicæ conversationis, qui insertus

ſertus operibus Auguſtini: *Mementote, quia tunc pactum cum Deo feciſtis, atq. renunciare vos diabolo & omnibus operibus eius in ipſo baptiſmo promiſiſtis.* Baptiſmus videlicet Apoſtolo Petro eſt *ſtipulatio bonæ conſcientiæ apud Deum*, 1 Epiſt. III, 21. Nempe Deus à nobis ſtipulatur bonam conſcientiam, ſive quòd adverſus conſcientiam nihil velimus committere, & à deſideriis & operibus carnis, *quæ militant adverſus animam*, & à diabolo ſuggeruntur & probantur, ejuſq; propterea opera dicuntur, abſtinere. Tom. 9. 1 Pet. 2. 11.

XV. Quandoquidem talia à pleriſque ante baptiſmum perpetrata erant, ideo Iohannes baptiſta quum inciperet baptizare, hortabatur homines ut pœnitentiam agerent: *& baptizabantur ab eo confitentes peccata ſua*, Matth. III, 2 & 6. Et Petrus poſt effuſa dona Spiritus ſancti prædicans, *Agite*, inquit, *pœnitentiam, & baptizetur unuſquisq. veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorum*, Actor. II, 38. Gentiles, qui convertebantur & Chriſto nomen dabant, idololatriæ & vitiis hactenus immerſi fuerant. Quando itaque catechumeni erant, pœnitentiam de pridem commiſſis agebant, quamquam non eo ritu, quo qui poſt ſuſceptum baptiſmum perpetrato flagitio Deum & Eccleſiam offenderant. *Iſte curationis ordo eſt*, ait Auguſtinus, *ut baptizandi credant in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum eo ritu, quo Symbolum traditur; & à mortuis operibus agant pœni-* De fide & oper. c. 10.

D tenti-

tentiam, omniumq́ se omnino praeteritorum remissionem accepturos esse non dubitent: nec ut peccare liceat, sed ut peccasse non noceat; ut sit factis remissio, non permissio faciendi. Vbi porrò declarat eos qui nec pœniteant, nec peccare desinant, ad baptismum non admitti. *Publicas meretrices*, inquit, *ad baptismum nisi illâ turpitudine liberatas nulla admittit ecclesia.* Homilia XXVII in libro L homiliarum: *Neq; ad baptismum Christi, in quo omnia peccata delentur, quisquam bene accedit, nisi agendo pœnitentiam de vitâ pristinâ.* Chrysostomus homiliâ XXI ad populum Antiochenum: *Et prius dixi, & nunc dico, & dicere non desinam, si quis morum vitia non correxit, nec sibi facilem paravit virtutem, ne baptizetur.* Si quis verò inter catechumenos adscitus crimine se obstrinxisset, ad pœnitentiam solenniter & stato tempore agendam adigebatur. Synodus Nicaena canone XIV: *De catechumenis lapsis placuit sanctae & magnae synodo, ut tribus annis Audientes tantùm sint,* nempe in eâ classe pœnitentium, quae Audientium erat, per triennium commorentur; *postea orent cum catechumenis.*

XVI. Hoc igitur est pactum, quod Deus cum conversis ex gentilismo per baptismum init, ut idololatriae & criminibus, quibus hactenus operati erant, per seriam de commissis pœnitentiam planè renuncient, & in posterum ita credant & ita vivant, quemadmodum juxta beneplacitum & ordinem divinum

vinum credere & vivere eos, qui à Deo in gratiam recepti, & in filios adoptati sunt, ut hereditatem cœlestem consequantur, oportet. Hoc Deus per Ecclesiam & os suorum ministrorum ab illis stipulatur, & illi hoc promittunt. Chrysostomus homiliâ paullò antè laudatâ: *Pœnitentiam agens non ampliùs eadem attingat negotia, quorum pœnituit: propterea iubemur dicere, Abrenuncio tibi Satana, ne ampliùs ad ipsum revertamur.* Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum baptisma: *Ut compendio dicam, Nihil aliud esse vim & facultatem baptismi existimare debemus, quàm secundæ vitæ ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum. Ac proinde vel maximo in metu omnes esse, atq; omni custodiâ nostras animas servare debemus, ne hoc pactum violasse comperiamur.* Ambrosius libro I de sacramentis, cap. II: *Quando te interrogavit presbyter, Abrenuncias diabolo & operibus eius; quid respondisti? Abrenuncio. Abrenuncias seculo & voluptatibus? quid respondisti? Abrenuncio. Memor esto sermonis tui, & numquam tibi excidat series cautionis.* Chrysostomus hom. VI in ep. ad Colossenses: *Postquam diximus, Renunciamus Satanæ, & coniungimur Tibi Christe; fœdus est & pactum.* Orat. 40.

XVII. Isidori Hispalensis hæc sunt verba libro II de officiis ecclesiasticis cap. XXIV: *Quæ sunt pactiones credentium. Prima pactio est, quâ renunciatur diabolo & pompis eius, & universæ conversationi illius. Se-*

cuncta pactio est, quâ se in Patrem, Filium & Spiritum sanctum credere fatentur. Nempe renunciationem excipiebat professio fidei, sive symboli, quod Apostolicum appellatur. Augustinus de fide & operibus cap.XI: *Baptizandis symbolum tradimus, reddendumq; reposcimus.* Dixerat antea cap.VI: *Quid aliud agit totum tempus, quo catechumenorum locum & nomen tenent, nisi ut audiant, quæ fides & qualis vita debeat esse Christiani?* Interim fatetur fieri interdum, *ubi quemquam fortè dies urget extremus, ut ad verba paucissima, quibus tamen omnia continentur, credat, sacramentumq; percipiat.* Dicit cap.IX: *Etiam quum ad baptizandum temporis urget angustia, necesse habemus exprimere interrogando, ut baptizandus ad cuncta respondeat, etiamsi ea memoriæ mandare non valuit.* Absurdos autem reputat, qui ex eo, Act.8.37. quòd Eunuchus, quum dixisset, *Credo filium Dei esse Iesum Christum,* baptizatus memoratur, colligant sufficere *ut hoc solum homines respondeant & continuo baptizentur,* etiamsi *nihil de Spiritu sancto, nihil de sanctâ ecclesiâ, nihil de remissione peccatorum, nihil de resurrectione mortuorum, postremò de ipso Iesu Christo nihil nisi quia Filius Dei est; non de incarnatione ejus ex virgine, de passione, de morte crucis, de sepulturâ, de tertij diei resurrectione, de adscensione, de sede ad dexteram Patris aliquid profiteantur.* Hæc autem *fides verbis certis conceptis, retentisq; memoriter de loco eminentiore, in conspectu populi fidelis, Romæ reddi solebat ab eis, qui accessuri*

Juri ad baptiſmum, ſicut memorat libro IIX Confeſſionum, cap. II. Sic etiam Ruffinus Expoſitione ſymboli, num. III: *Mos in eccleſiâ urbis Romæ ſervatur antiquus, eos qui gratiam baptiſmi ſuſcepturi ſunt, publicè, id eſt, fidelium populo audiente ſymbolum reddere.* Cyprianus agnoſcit *Novatianum eodem ſymbolo, quo & Catholicos, baptizare*, & *in interrogatione baptiſmi à Catholicis non diſcrepare*, epiſt. LXXVI. Laodicena ſynodus ſancit canone XLVI, *quòd oportet eos qui illuminantur fidem diſcere, & quinctâ hebdomadis* magnæ *feriâ epiſcopo renunciare vel presbyteris.* Hieronymus dialogo adverſus Luciferianos, cap. V: *Solenne eſt in lavacro poſt Trinitatis confeſſionem interrogare, Credis ſanctam eccleſiam? credis remiſſionem peccatorum?*

XIIX. Ori ſalem indi, & ſputo nares atq; aures tangi, quòd etiam hodie apud Pontificios uſurpatur, apud Latinos tantùm, ut videtur, obtinuit, quandoquidem nulla talium à Græcis mentio facta occurrit. Iſidorus de officiis eccleſ. lib. II, cap. XX: *Sales in myſterio catechumenis dandos à Patribus ideo eſt inſtitutum, ut eorum guſtu condimentum ſapientiæ percipiant.* Ambroſius, ſi tamen is ipſe eſt, libro I de ſacramentis, cap. I: *Ideo tibi ſacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad ſermonem & ad eloquium ſacerdotis: --- ideo nares, ut bonum odorem accipias pietatis æternæ.* Quod autem idem de iiſdem libro III, cap. II dicit, *Quando dediſti nomen tuum, tulit lutum & linivit ſuper oculos*

tuos; non de ritu qui à presbytero adhiberetur, ſed de Chriſto intrinſecè & ſpiritualiter oculos aperiente accipiendum videtur.

XIX. Impoſitio manuum ritus erat precibus addi ſolitus. Imponebantur enim, atque adeo hodie etiam imponuntur illis, quibus aliquid ſingulare à Deo impetrandum. In baptiſmo igitur id ipſum frequentari conſentaneum. Idem dicendum de ſigno crucis. Auguſtinus Tractatu CXIIX in Iohannem: *Signum Chriſti niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ quâ regenerantur, ſive oleo quo chriſmate unguntur, ſive ſacrificio quo aluntur; nihil eorum rite perficitur.*

XX. Vnctio ſive chriſma itidem adhibebatur. Tertullianus de reſurrectione carnis cap. IIX: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro unguitur, ut anima conſecretur.* Theophilus Antiochenus libro primo adverſus Autolycum: *Nos propterea Chriſtiani vocamur,* ὅτι χριόμεθα ἔλαιον θεοῦ, *quoniam ungimur oleo Dei.* Cyrillus Ieroſolymitatus catecheſi myſtagogicâ ſecundâ: *Statim ut ingreſſi eſtis, veſtem exuiſtis. — O rem admirandam! nudi fuiſtis in conſpectu omnium, & non vos pudebat. --- Deinde jam exuti exorcizato oleo uncti eſtis à ſummis capillis ad ima. ---- Poſtea deducebamini ad ſanctum divini baptiſmi lavacrum. Atq; tunc unuſquiſq; interrogabatur, an crederet in nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: & confeſſi eſtis ſalutarem confeſſio-*

sessionem: & mersi ter in aquâ rursus emersistis. Catechesi sequente: *Vobis, postquam ex aquis sacri lavacri adscendistis, datum est chrisma: —quo frons & alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur. —Ac primùm quidem fronti illinitur. — Deinde verò aures unguntur: — postea nares: — tum verò & pectus inungitur, ut induti thoracem justitiæ fortiter adversus insultus diaboli consistatis.* Talis tempore Cyrilli, quod in quartum seculum incidit, & ante & post baptismum in Ierosolymitanâ Ecclesiâ adhibebatur unctio. Chrysostomus homiliâ VI in ep. ad Colossenses: *Antequam adscendat è lavacro, adeo facilè exuit veterem hominem, atq; vestimenta. Inungitur more athletarum, qui stadium iam ingressuri sunt.* Ambrosius De sacramentis libro I, c. II: *Unctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen seculi huius luctaturus.* Augustinus tractatu XXXIII in Iohannem: *Chrisma græcè, latinè unctio nuncupatur. Ideo autem* Christus *nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit.* Libro XV de Trinitate, cap. XXVI: *Donum gratiæ visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.* Isidorus de officiis ecclesiasticis libro II, c. XXV: *Quia genus regale & sacerdotium sumus, ideo post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur.* Nempe unctio symbolum est & signum non modò spiritualis luctatoris, sed etiam regis & sacerdotis. Baptizatos enim & fideles facit Christus *reges & sacerdotes Deo & Patri suo*, Apoc. I, 6; *ad offerendum spirituales hostias*, I Pet.

1 Pet. II, 5. Hinc Hieronymus baptismum vocat *sacerdotium laici*, Dialogo adversus Luciferianos c. II.

XXI. Dices fortè, quum oleum sit materia magis preciosa, quàm est aqua, & proinde etiam unctio sit actio prout in sensus incurrit, magis speciosa, quam lotio; nonne per unctionem ab Ecclesiá superadditam quasi obnubilatum fuit id, quod Christus instituit, & est de essentiâ baptismi, ut rudiores in errorem induci potuerint, quasi tantundem aut plus etiam situm esset in unctione, quàm in lotione. Respondeo: Vt de institutione, quâ erudiri potuerunt & debuerunt, nihil dicam, ipsa actio tingendi in antiquâ Ecclesiâ ordinariè & citra casum necessitatis, quatenus in oculos incurrebat ita peragebatur, ut eos ad se facilè converteret, & insignis ac præcipua appareret. Exuebant enim baptizandi vestimenta: nudi in lacum sive fontem eo fine constructum descendebant, ibi toti aquis mergebantur, & quidem ter mergebantur, & ter emergebant, & tandem è lacu adscendebant. Sic Servator ipse baptizatus in Iordane *adscendit ex aquâ*, Matth. III, 16; & Iohannes itidem adscendit, Marci 1, 10. Philippus & Eunuchus *ambo descenderunt in aquam*: & hunc ille baptizavit: *quum autem adscendissent ex aquâ*, Spiritus Domini rapuit Philippum, Actor. IIX, 38. Hoc ipsum mergi & emergere trahit sanctus Paulus ad similitudinem mortis Christi; & dicit fideles *Christo consepultos per baptismum*,

Col.

Col. II, 12: & *quotquot baptizati sumus, in mortem ejus esse baptizatos. Consepulti igitur*, inquit, *sumus ei per baptismum in mortem; ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, Rom. VI, 3 & 4. Tertullianus De coronâ militis cap. III: *Ter mergitamur.* Adversus Praxeam cap. XXVI: *Non semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tinguimur.* Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos, cap. IV: *In lavacro ter caput mergitare, id per traditionem in ecclesiis observatur.* Cyrillus catechesi mystagogicâ secundâ: κατεδύετε τρίτον εἰς τὸ ὕδωρ, καὶ πάλιν ἀνεδύετε. *Ter immersi in aquam rursus emersistis.* Sed ex illâ catechesi paullò antè, quæ huc faciant, producta sunt. Chrysostomus homiliâ XXIV in Iohannem: *In aquâ tamquam in sepulcro caput immergentibus vetus homo sepelitur; emergentibus novus resurgit inde.* Ambrosius libro II de sacramentis, cap. VII: *Interrogatus es, Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti, Credo; & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum rogatus es, Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius: Dixisti Credo; & mersisti: & ideo Christo es consepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurget. Tertiò interrogatus es, Credis in Spiritum sanctum? Dixisti, Credo: & tertiò mersisti.* Haut paullò aliter hîc res proponitur, quàm se habet, & alibi memoratur. Cæterùm libros illos non esse genuinos suspicio est ratione munita. Interim ex

E eis

eis ad eumdem modum recitat Ivo Carnotensis sermone de sacramentis neophytorum, nisi quod pro *mersisti* ponit, *mersus es.* Thomas VValdensis inde colligit, *quòd Ambrosiana ecclesia commiscuerit articulos symboli cum immersionibus singulatim*, Tom. III, cap. LI, num. IX. Quod tamen nobis non fit verosimile.

XXII. Quum autem passim in usu esset trina mersio, in Hispaniâ tamen tempore Gregorii magni usurpata fuit unica. Hinc enim ille ad Leandrum episcopum, cui aliàs expositionem suam moralem in Epist. 41. Iobum inscripserat: *Quia in tribus personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismo vel ter vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus personarum trinitas, & in unâ potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc huc usque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud nos esse non censeo; ne, dum mersiones numerant, divinitatem dividant; dumque quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.* Videntur hæretici diversas mersiones tamquam indicium diversarum naturarum, quæ personis inessent, accepisse. Ad hoc igitur elidendum, & ne viderentur catholici hæreticorum consuetudinem suæ prætulisse, mavult Gregorius unicam usurpari. Nescio tamen quàm bene ei convenire possit cum suo decessore Pelagio, qui in hunc modum rescripsit: *Multi sunt qui in nomine solummodo Christi unâ etiam mersione se asserunt baptizare*

zare

zare. Evangelicum verò præceptum, ipso Deo & domino salvatore Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis trinâ etiam mersione sanctum baptisma unicuique tribuere. Legitur apud Ivonem parte primâ, cap. XCIX; & Gratianum de consecratione dist. IV, cap. XXCII. Post aliquot annos habita fuit synodus, quæ Toletana quarta solet appellari: cujus Patres canone quinto eam rem tractant hisce verbis: *De baptismi sacramento, propter quod in Hispaniis quidam sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & unitas fidei scindi videtur. Nam dum partes diverso & quasi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos esse contendunt.* Deinde sententiam Gregorii magni subjungunt, laudant & sequendam statuunt, subjiciuntque: *Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertiò mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem.* *Anno 633.*

XXIII. Porrò nisi metus periculi incumberet, visum fuit tempus Quadragesimæ catechesi & præparandis Competentibus inprimis aptum: & magnũ sabbatum, quod est pridie Paschæ, administrationi baptismi. Tertullianus de Baptismo cap. XIX: *Diem baptismo solenniorem Pascha præstat, quum & passio Domini, in quâ tinguimur, adimpleta est.—Exinde Pentecoste adornandis lavacris latissimum spacium est.—Cæ-*

terùm omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo: si de solennitate interest, de gratiâ nihil refert. Commentarius in epistolas Paulinas operibus Ambrosii insertus: *Non quocunq; die credentes tinguntur, nisi ægri.* Cyrillus Ierosolymitanus catechesi eorum, qui illuminantur ultima: *De traditâ nobis ad profitendum sanctâ & Apostolicâ fide quantum catechesis capere potuit, per Dei gratiam diximus præteritis hisce quadragesimæ diebus. Instante autem deinceps sancto die Paschæ, & vestrâ per lavacrum regeneratione, docebimus rursus, Deo volente, ea quæ conveniunt.* Hieronymus ad Pammachium adversus Iohannem Ierosolymitanum scribens memorat, se, qui Bethlehem in monasterio viverent, *circa dies Pentecostes, quadraginta diversæ ætatis & sexus, presbyteris Iohannis,* sive à Iohanne ordinatis, ejusque obsequio addictis, *baptizandos obtulisse.* De Iohanne autem conquestus, sermone ad ipsum directo, Tu, inquit, *præcepisti in Bethlehem presbyteris tuis, ne Competentibus nostris in Pascha baptismum traderent: quos nos Diospolin ad confessorem & Episcopum Dionysium misimus baptizandos.* Siricius qui seculo quarto ad finem vergente Romanus fuit episcopus, quòd citra necessitatem aliis temporibus baptismus administraretur stomachatus, *improbabilem* vocat *confusionem, & emendandam.* Verba nonnulla ex epistolâ ad Himerium episcopum Tarraconensem, quæ in veterum canonum

In cap. 4 ad Ephes.

Roma-

Romanæ ecclesiæ codice inter Pontificias decretales, quas vocant, prima occurrit, apponemus. *Non ratione,* inquit, *auctoritatis alicujus, sed solâ temeritate præsumitur, ut passim ac liberè Natalitiis Christi, seu apparitionis* vel Epiphaniorum, *nec non & Apostolorum seu Martyrum festivitatibus innumeræ plebes baptismi mysterium consequantur, quum hoc sibi privilegium & apud nos & apud omnes Ecclesias dominicum specialiter cum Pentecoste suâ Pascha defendat, quibus solis per annum diebus ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi convenit sacramenta. His duntaxat electis qui ante quadraginta, vel eo amplius, dies nomen dederint, & exorcismis, quotidianisq; orationibus, atq; jejuniis fuerint expiati, quatenus Apostolica illa impleatur præceptio, ut expurgato fermento veteri nova incipiat esse conspersio. Sicut ergo paschalem reverentiam in nullo dicimus esse minuendam, ita infantibus, qui necdum loqui poterunt per ætatem, vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda baptismatis, omni volumus celeritate succurri: ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisq; de seculo & regnum perdat & vitam.*

XXIV. Leo, qui post paullò plures quàm XL annos Siricio successit, sententiam ejus sequitur & repetit epistolâ ad Episcopos Siciliæ; atque itidem addit: *Ita ad has duas festivitates connexas atq; sibimet cognatas incolumium & in pacis securitate degentium li-* *Epist. 4.*

bera vota differimus, ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persequutionis angustijs, in timore naufragij, nullo tempore hoc veræ salutis singulare remedium cuiquam denegemus. Ejusdem argumenti alia quoq; est epistola, quæ numeratur xxc, *universis Episcopis per Campaniam, Samnium & Picenum constitutis* inscripta. Intercedit ab obitu Leonis tempus quinquaginta circiter annorum, & habitum est in Hispaniâ

Anno 517. concilium Gerundense, cujus canones IV & V præsens negotium concernunt, atque ita habent: *De catechumenis baptizandis id statutum est, ut in Paschæ solennitate vel Pentecostes, quanto majoris celebritatis major celebritas est, tanto magis ad baptizandum veniant: cæteris solennitatibus infirmi tantummodo debeant baptizari, quibus quocumq; tempore convenit baptismum non negari. De parvulis verò, qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi fuerint, & lac maternum non appetant, etiam eadem die quâ nati sunt, si oblati fuerint, baptizentur.* Pascha igitur & Pentecoste olim solennia baptismo destinata tempora. Quoniam autem à Pentecoste usque ad Pascha longius temporis intervallum, quàm à Pascha usq; Pentecosten; atq; adeo plures aut nascerentur, aut etiam animum suscipiendi Christianismi inducerent in illo, quam in isto; & quoniam Pascha memoriam mortis & resurrectionis Dominicæ, in cujus similitudinem baptizamur, & à quâ efficaciam trahit baptismus,

ptismus,

ptismus, innovat; & præcedit Quadragesima jejuniis & pœnitentiæ aliàs destinata: inde factum, ut plures in vigiliâ Paschæ quàm Pentecostes baptizarentur; & baptismus Paschæ celebrior & solennior esset quàm Pentecostes. Leo primus epistolâ ante productâ: *Regenerandus filius hominum, & in Dei filios adoptandus ille dies & illud tempus est electum, in quo per similitudinem formamq; mysterij quæ geruntur in membris, his quæ in ipso capite sunt gesta, congruerent: dum in baptismatis regulâ & mors intervenit interfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis elevatio resurgentis ad instar est de sepulcro. Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ,* sive baptismi solenniter pluribus conferendi, *eum esse legitimum diem, in quo orta est virtus muneris & species actionis.* Notat Socrates *in Thessaliâ consuetudinem fuisse, ut diebus festis Paschæ,* neglectâ videlicet Pentecoste, *duntaxat baptizarent. Ob quam caussam,* inquit, *omnes, paucis admodum exceptis, absq; baptismate moriuntur.* Mirum est, imò damnandum, pravæ consuetudinis tantam vim fuisse. Consuetudo verò illa altera, aliàs passim recepta non observata fuit circa Burgundiones, qui, sicut idem narrat Socrates, quum imperante Theodosio juniore, *communi consensu ad credendum in Christum se contulissent, ad civitatem quamdam Galliæ profecti postulant ab episcopo, ut Christianorum baptismo donentur.*

Epist. 4. *Lib.* 5. *cap.* 21. *Lib.* 7. *cap.* 30.

tur. Is quum illis septem dies præscripsisset ad jejunandum & in fide eos erudivisset, octavo die baptismi lavacro tinxit, & cum pace dimisit. A consuetudine verò Thessalicâ non abludit eorum consuetudo, qui nullum infatem, nisi in templum & publicum cœtum deferatur, baptizare volunt. Rectè autem eximius vir Isaacus Casaubonus Excercitatione ad annales Baronij num. *LII: Væ illis, qui in administratione sacri lavacri, obtentu nescio cujus disciplinæ, moribundis infantibus officium suum negant.* Inter articulos sanè Perthenses, propter quos tanti in Scotia tumultus excitati, unus fuit *de baptismo quovis loco & tempore, quando necessitas postulat, administrando.*

XXV. Sed nos ad priora regredimur. Temporibus Caroli Magni ejusq; filij Ludovici Pij consuetudo stato Paschæ & Pentecostes tempore baptizandi adhuc obtinebat. Capitulare eorum libro v, cap. CIV. *Ut baptismus non fiat nisi statis temporibus, id est, Pascha & Pentecoste, nisi infirmitas intercesserit.* Libro VI, cap. CLXXIIX: *Ut baptizare nullus præsumat nisi per duo tempora, id est, vigiliâ Paschæ & Pentecostes, nisi immineat mortis periculum.* Et mox cap. *CLXXXV; Placuit ut populus ad baptismum eorum infantes non afferat, nisi duobus temporibus, si infirmitas non occupaverit.* Eodem facit Additio secunda Ludovici, cap. II. Rarescente autem post illa tempora baptismo adultorum, & crebrescente baptismo

ptiſmo infantum hæc ſive lex ſive conſuetudo mutavit, & paullatim abolita eſt. Haut malè Rupertus Tuitienſis libro de divinis officiis quarto, cap. XIIX: *Cuncta penè Eccleſiæ proles, quam per annum verbo prædicationis novam gignere poterat, inſtante ſolennitate Paſchali ſua nomina dabat. —— At poſtquam Chriſtianitas crevit, & ſagena illa verbi Dei piſcibus impleta eſt, quia periculoſum erat tantam multitudinem differre propter occaſiones mortis, quæ in multitudine hominum multæ ſunt, maximè propter turbam infantum ex Chriſtianis parentibus ſuccreſcentium, quorum tenera vita perſæpe levi occaſione ſucciditur: viſum eſt ſanctæ Eccleſiæ paſſim indulgentiâ baptizandi conceſſâ, imò oblatâ, cuncta antevenire pericula.* Etiamſi mos dudum deſierit, manet tamen apud Pontificios benedictio fontis vigiliâ Paſchæ & Pentecoſtes inſtitui ſolita, & preces ex antiquo more derivatæ. *Omnipotens ſempiterne Deus, adeſto magnis pietatis tuæ myſteriis, adeſto ſacramentis, & ad recreandos populos, quos tibi fons baptiſmatis parturit, ſpiritum adoptionis emitte.* Item: *Ut lætetur mater ſancta tota nunc Eccleſia ex profectu renaſcentis tantæ multitudinis.* Hujuſmodi preces & cantica rei olim conveniebant.

XXVI. De adepto baptiſmum in hunc modum loquitur Gregorius Nazianzenus in fine Orationis XL: *Statio hæc, quâ confeſtim à baptiſmo ante magnum ſacrarium,* περὶ τοῦ μεγάλου βήματος *ſtabis, cæleſtis*

F *vitæ*

vitæ gloriam præsignat. Psalmorum cantus, quo exciperis, futuræ ibi hymnodiæ proœmium est. Lampades, quas accendes, significant illam luminum gestationem, cum qua splendidæ & virgines animæ splendidis fidei lampadibus Christo sponso obviam prodibimus.

XXVII. Certè qui baptizatus erat, cœtui fidelium mox jungebatur, & unà cum eis sanctæ Eucharistiæ particeps reddebatur, ut ex Apologiâ Iustini martyris, quæ posterior ponitur, constat. Chrismatis ille mentionem non facit, quod deinde accessit. Cyrillus catechesi mystagogica tertia: ὑμῖν ἀναβεβηκόσιν ἀπὸ τῆς κολυμβήθρας τῶν ἱερῶν ναμάτων ἐδόθη χρῖσμα. *Vobis postquam ex alveo sacri lavacri adscendistis, datum est chrisma.* De quo alibi tractatur. Catechesi sequente agit de Eucharistiâ, ad cujus communionem baptizatus & unctus, quin etiam in signum mutuæ caritatis osculo exceptus, admittebatur. Dixerat catechesi τῶν φωτιζομένων ultimâ, se congruo tempore ostensurum, μεθ' ὅσης ἐυλαβείας καὶ τάξεως χρὴ ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος πρὸς τὸ ἅγιον τοῦ θεοῦ προσελεύσεσθαι θυσιαστήριον, τῶν αὐτόθι πνευματικῶν καὶ ἐπουρανίων ἀπολαβεῖν μυστηρίων. *quantâ cum reverentiâ & ordine oporteat à baptismo ad sanctum Dei altare accedere, & hæc, quæ ibi sunt, spiritualia & cœlestia mysteria accipere.* Cyprianus epistola LXXIII, num. V: *Per baptisma Spiritus sanctus accipitur: & sic*

à bapti-

à baptizatis & spiritum sanctum consequutis ad bibendum calicem Domini pervenitur. Hieronymus libro tertio contra Pelagianos, cap. v: *De baptismatis fonte surgentes & regenerati—statim in primâ communione corporis Christi dicunt; Et dimitte nobis debita nostra.* Dionysius qui Areopagita vulgò appellatur, libro de Ecclesiasticâ hierarchiâ, cap. III. Ἐν τέλει πάντων ὁ ἱεράρχης ἐπὶ τὴν ἱερωτάτην εὐχαριστίαν καλεῖ τὸν τετελεσμένον, καὶ τῶν τελεστικῶν μυστηρίων αὐτῷ μεταδίδωσι κοινωνίας. *Peractis omnibus Pontifex initiatum ad sanctissimam Eucharistiam vocat, & perfectissimorum mysteriorum participem facit.* Interim catechumenis alicubi dabatur panis quidam benedictus, tamquam Eucharistiæ vicarius; de quo Augustinus libro II de peccatorum meritis & remissione, cap. XXVI: *Quòd accipiunt catechumeni, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quàm cibi, quibus alimur.*

XXIIX. Nec adultis solis, sed etiam puerulis & infantibus data Eucharistia. Nam his quoque necessariam eam esse pluribus locis scribit Augustinus: & sicut contra Iulianum libro primo, cap. secundo testatur, Innocentius primus eo nomine Romanus episcopus *parvulos definivit, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse.* Albinus Alcuinus Flaccus, qui Caroli magni præceptor fuisse

creditur, suo de divinis officiis libro: *Hoc providendum est, ut infantes baptizati nullum cibum accipiant, neq; lactentur, antequam communicent.* Mos ille apud Græcos hodie quoque observatur: quin etiam alter, quòd non adspergunt, sed immergunt. Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus Responso ad Tubingenses secundo, titulo De sacramentis: *Vtimur tribus immersionibus, non trinâ infusione. Baptizabant enim veteres non manibus suis aquam baptizandis adspergentes, hoc Evangelii sequentes; Adscendit ex aquâ. Ergo antè descenderat. Ecce immersio, non adspersio.*

XXIX. Mosci à Græcis ante annos propemodum septingentos Christianam religionem acceperunt. Quomodo baptizent è commentario rerum Moscoviticarum, quem superiore seculo edidit Sigismundus Baro Herbersteinius subjungemus. *Baptizatur*, inquit, *hoc modo. Nato infante, mox accersitus sacerdos ante januam habitationis, in quâ est puerpera, certas stando recitat orationes, puerog; nomen imponit. Dein XL communiter die, nisi fortè puer ægrotet, defertur, & baptizatur, ac ter in aquam totus immergitur: alioqui baptizatum non crederent. Mox inungitur chrismate, quod consecratum est in hebdomadâ magnâ. Inungitur deniq; myrrhâ, ut ipsi dicunt. Aqua verò baptismatis singulis infantibus consecratur, & continuò post baptismum extra templi portam effunditur. Semper in templo baptizantur infantes, nisi longinquitas loci nimia,*

aut

aut frigus puero obesset: neq; unquam aquâ tepidâ, nisi pueris infirmis, utuntur. Susceptores ex voluntate parentum adsumuntur, & quoties praeeunte certis verbis sacerdote, diabolo renunciant, toties in terram exspuunt. Sacerdos etiam infanti capillos abscindit, eosq; cerae etiam intricat, & in templo loco certo reponit. Non adhibent salem, neq; salivam cum pulvere. Salem tamen adhiberi, & baptismum non ita, ut Herbersteinius memorat, differri scribit Adamus Olearius, qui Itinerarium Orientale, accuratè confectum germanicâ linguâ nuper edidit; & ante eum Petrus Petreus Chronici Moscovitici itidem germanicè scripti parte sextâ. Pag. 151.

XIXX. De Æthiopibus autem Abyssinis testatur Franciscus Alvarez, inter eos sexennium versatus, puellos ab ipsis non baptizari ante diem quadragesimum, nec puellas ante sexagesimum. Octogesimum dicit apud Damianum Goes Zaga Zabo, qui ante seculum & quod excurrit, ex Æthiopiâ in Lusitaniam legatus venit. Nicolaus Godignus De eorum rebus libro 1, cap. XXIIX: *Adeo pertinaci consuetudine certum baptizandis infantibus tempus designatum est, ut ne morientes quidem ante illud expient baptismo.* Et rem confirmat eorum testimonio, quibus per experientiam cognita. Zaga Zabo emollit & addit: *Nisi aliqua interveniat ægritudo, ut opus sit festinatione.* Sed hunc *plurima commentum fuisse* affirmat lib. 1, cap. 1, Godignus. Alvarezius & Zaga Zabo addunt mox à ba-

ptiſmo Euchariſtiæ etiam participes fieri. Conſuevit *Ordo baptiſmi ſecundum uſum Æthiopum* Liturgicis, quæ in Bibliothecâ Patrum habentur, immixtus, neſcio tamen an ſatis certæ auctoritatis. Iuxta eum etiam *coronæ ex myrto & palmâ* capitibus baptizatorum imponuntur: quod alibi legere non memini, niſi fortè in Severi Alexandrini de baptiſmi ritibus libello, ubi habetur: *Elevant baptizatos ad altare, eisque dant myſteria*, nempe *Euchariſtiam*; *& ſertis coronat eos ſacerdos.* Iuxta Ordinem Æthiopicum *diaconus dat eis lac & mel.* Notum autem eſt illud Tertulliani De coronâ militis, cap. III: *Ter mergitamur: inde lactis & mellis concordiam prægustamus.* Et libro primo adverſus Marcionem cap. XIV memorat *mellis & lactis ſocietatem, quâ ſuos infantet*, quaſi modò genitos infantes tractet, *Creator.* Hieronymus melli ſubſtituit vinum in Ieſaiæ cap. LV, ad verba, *Venite, emite abſque argento vinum & lac.* *Lac*, inquit, *ſignificat innocentiam parvulorum. Qui mos ac typus in Occidentis eccleſiis hodieque ſervatur, ut renatis in Chriſto vinum lacque tribuantur.* Neſcio num ſit hallucinatio Hieronymi, an error librariorum. Nam vinum alibi non memoratur. Codex canonum Eccleſiæ Africanæ in canone XXXVII, qui ex Carthaginienſi concilio, quod tertium dici ſolet, depromtus: *Mel & lac uno die ſolenniſſimo in infantum myſterio ſolet offerri.* Et additur quod *in altari offerantur*, id eſt, in altari, ex eo in uſum modo dictum, promen-

promenda, collocentur. Quod enim in sacrâ mensâ ad usus sacros adhibendum ponebatur, offerri dicebatur. Sed iste mos prorsus exolevit.

XXXI. De lampade à baptizatis accensâ sive illis traditâ paullò antè ex Nazianzeno audivimus. Cereum fuisse verosimile est: lampas generali vocabulo dicitur, quia λάμπει sive lucet. Qui mos tradendi & ferendi cerei diu perseveravit. Ivo Carnotensis sermone de sacramentis (nempe omnes sacri ritus sacramenta olim appellabantur) neophytorum: *Ad ultimum datur cereus accensus in manus baptizati, quatenus implere doceatur illud Evangelij; Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Quod si perseveranter fecerit, non cum fatuis virginibus, exstinctâ lampade, à januâ sponsi repelletur, sed cum prudentibus glorificandus colligetur.* Matth. 5. 16.

XXXII. Morem abluendi pedes post susceptum baptismum in ecclesiâ Mediolanensi fuisse opinio est. Nam librorum De sacramentis, qui Ambrosio tribui solent, tertio, cap. primo leguntur quæ subjicio: *Adscendisti de fonte. Quid sequutum est? Audisti lectionem. Succinctus est sacerdos. Licet enim & presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii à summo est sacerdote,* hoc est, episcopo. *Succinctus, inquam, summus sacerdos pedes tibi lavit.——Non ignoramus, quòd ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cuius typum*

pum in omnibus sequimur & formam. Hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet. Vide ergo, ne forte propter multitudinem eorum, qui ibi baptizantur, *declinavit*. Addit, non tantùm *humanitatis* officium esse, sed etiam *sanctificationis*, sive ad sanctificationem facere. Denique: *Quia Adam supplantatus à diabolo est & venenum ei effusum est supra pedes, ut in eâ parte, in quâ insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quò postea te supplantare non possit: lavas ergo pedes ut laves venena serpentis.* Et De iis qui mysteriis initiantur, cap. VI: *Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantavit serpens, & persuasit errorem. Ideo planta eius abluitur, ut hereditaria peccata tollantur. Nostra enim propria per baptismum relaxantur.* Rectè Iohannes Maldonatus ad Iohan. XIII, 7: *Hoc cum Theologiâ & Ecclesiæ doctrinâ non convenit, & cauto lectore & benevolo indiget interprete.* Ipse autem interpretatione violentâ & à verbis alienâ in alium sensum torquere conatur. Nobis potiùs ista indicio & argumento sunt, librum De iis, qui mysteriis initiantur, & alios sex De sacramentis non esse foetus Ambrosii genuinos. Concilium Elibertinum oppidò antiquum, & post initia quarti seculi in Hispaniâ (quamvis de loco vero hodie ambigitur) habitum prohibet *pedes baptizatorum lavari à sacerdotibus vel clericis*, can. XLIIX. Alicubi igitur usurpatum fuisse

fuisse appáret. De quo Augustinus epistolâ CXIX, cap. XIIX: *Ne ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt. Nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitaverunt. Aliqui autem, ut hoc sacratiore tempore commendaretur, & à baptismi sacramento mutaretur* sive distingueretur, *vel diem tertium octavarum* post susceptum baptismum, *vel etiam ipsum octavum, ut hoc facerent, elegerunt.* Alia verò fuit lotio, & baptismum antegressa, non subsequuta est, de quâ idem Augustinus epistolâ CXIIX, cap. VII: *Si quaeris, cur etiam lavandi mos ortus sit; nihil mihi hac de re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptizandorum corpora per observationem Quadragesimae sordidata cum offensione sensus ad fontem tractarentur, nisi aliquâ die lavarentur. Istum autem diem potiùs ad hoc electum, quo Cœna Dominica anniversariè celebratur. Et quia concessum est hoc baptismum suscepturis, multi cum bis lavare voluerunt.*

XXXIII. Vestis candida baptizato priùs etiam, quàm cereus, dabatur. Liber De iis, qui mysteriis initiantur cap. VII: *Accepisti post hæc vestimenta candida, ut esset indicium, quòd exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ castæ velamina.* Chrysostomus in psalmum CXIIX: *Habete tunicam mundam, sicut accepistis de baptismo. Nullus eam maculet moribus suis, nullus pravitate cordis scindat tantam pulcritudinem. Talem accepistis vestem in baptismo, qualem habuerunt*

 ange-

angeli, qui servabant Dominum in sepulcro: sicut nix ita erat vestis eorum. Similiter Cyrillus Ierosolymitanus catechesi mystagogicâ quartâ: *Exutus vestibus antiquis & indutus aliis secundum spiritum albis perpetuò jam albus incedere debes. Non hoc ideo dicimus, quòd te semper albis vestimentis indui oporteat, sed quod verè albis & splendidis & spiritualibus necesse sit amiciri.* Socrates libro VII, cap. XVII memorat, quòd Paulus Novatianorum episcopus Iudæo veteratori, baptismum petenti *emerit* ἐσθῆτα λαμπρὰν, *vestem splendidam* (videtur pauperibus ex ærario ecclesiastico comparatam fuisse) *& jusserit* τὴν κολυμβήθραν τοῦ βαπτιστηρίου πληρωθῆναι, *alveum baptisterii aqua impleri.* Venantius Fortunatus libro tertio Poëmatum, hymno de resurrectione Domini, qui Lactantio aliquando tribuebatur: *Candidus egreditur nitidis exercitus undis,*

Atq; vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoq; candida signat,
Et grege de niveo gaudia pastor habet.

Et libro quarto carmine de Iudæis aliquammultis baptizatis:

Excepit populus populum, plebs altera plebem:
Germine qui non est, fit sibi fonte parens.
Vndiq; rapta manu lux cerea provocat astra,
Credas ut stellas ire, trahendo comas.
Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor
Ducitur, & vario lumine picta dies.

XXXIV.

XXXIV. Candidas istas vestes, quas sabbato sancto, quo baptizabantur, induerant, per octo dies gerebant, & quum ita vestiti quotidie sacris interfuissent, altero demum sabbato deponebant. *Octo dies neophytorum* vocat Augustinus epistolâ cxix, cap. xvii: & indignatur eo superstitionis nonnullos esse prolapsos, *ut graviùs corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentiâ sepelierit*, cap. xix. Per illud octiduum *Albati* & *in albis esse* dicebantur. Beda Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum libro ii, cap. xiv: Edvvini regis Anglorum filij nonnulli *albati adhuc rapti sunt de vitâ, & Eboraci in ecclesiâ sepulti.* Gregorius Turonensis de Ingomere Clodovei regis Francorum filio: *Baptizatus puer in ipsis, sicut regeneratus fuerat, albis moritur.* Aimoinus de Theodoberti filio: *In albis novæ regenerationis adhuc constitutus innocentem exhalavit spiritum.* Subijcimus deniq; verba Albini Alcuini. *De sabbato in Albis. Hodie Albati, qui in sabbato sancto baptizati fuerant, vestibus albis exuuntur. Albati autem propter vestes albas vulgò appellantur. —— A sabbato usq; ad sabbatum portantur albæ vestes, quæ nobis speciem præstant, quales esse debeamus in Novo testamento; & qualia corpora recepturi in octavâ die*, (hanc vult esse typum diei novissimæ) *in quâ præsentari nos oportet ante Dominum cum ipso pignore, quod accepimus in baptismo.—— Nostri baptizati exstinctis peccatis præ-*

Histor. Franc. l. 2. *Hist. l. 4.*

 teritis

veritis ducuntur quotidie ad Ecclesiam, columnâ cerei illuminatâ praecedente eos. Dominicâ, quae Urbanum in Albis excipiebat, dicebatur *Dominica post Albas.* Ex antiquo hoc ritu descendit, quòd Pontificia Ecclesia capiti infantis baptizati album integumentum imponit, & haec verba sive vota adjungit: *Accipe vestem candidam, sanctam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, ut habeas vitam aeternam, & vivas in secula seculorum, Amen.*

XXXV. Hactenus varij circa baptismum ritus: quos tamen non necesse est ubique, per universam Ecclesiam; quàm latè per orbem terrarum dispersa est, eosdem aut fuisse aut semper observatos esse, aut etiam hodie observari. Ex quo autem adulti & pauci & rarò baptizari coeperunt, desierunt stata tempora Paschae & Pentecostes alijs diebus praeferri. Quod post tempora Caroli magni ejusq; filiorum evenisse verosimile est. Desiit etiam usus baptisteriorum à templis separatorum, & paullatim quoque immersiones transierunt in adspersiones, utpote infantibus magis aptas, praesertim in nostris versus septemtrionem regionibus. Ceremoniae tamen pleraeq; aliae permanserunt. Quin quum à multis seculis aliae alijs accederent, in cumulum tandem satis grandem excreverunt. Hic itaque considerandum proponimus judicium Augustini, quod protulit sub finem

finem epistolæ CXIX. *Omnia, inquit, talia, quæ neq; sanctarum Scripturarum autoritatibus continentur, nec in conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino numquam inveniri possint caussæ, quas in eis instituendis homines sequuti sunt; ubi facultas tribuitur, sine ullâ dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim neq; hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint; ipsam tamen religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumtionibus subjiciuntur.* Ecclesiæ autem circa ejusmodi cum libertate quadam versantur, & pollent facultate sibi suisq;, sicut ex usu fore videtur, consulendi, ut omnia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, I Cor. XIV, 40; & ad ædificationem, non ad destructionem, II Cor. XIII, 10. Quum igitur necessaria reformatio apud nos in Occidente successum sortiretur & progressum faceret, imminutus est numerus rituum baptismo superadditorum, iique tantùm retenti, qui antiquissimi & universalissimi, & operosiore agendi ratione simplicem, sed baptismo essen-

ſperſione, qualis apud ſeptemtrionales poſtremis ſeculis in uſu eſſe cœpit, comparetur, omnino competit. Et hæc ex adverſariis & annotationibus venerandi Parentis collecta mereri videbantur, ut hîc à ſtudioſis legerentur.

XXXVI. Nunc quæ reliqua ſunt breviter ſubjiciemus. Adultos, baptiſmum deſiderantes, capita ſive ſummam Chriſtianæ fidei doceri, & priuſquam baptizentur profiteri oportet, ut etiam ex jis, quæ dicta ſunt, conſtat.

XXXVII. Infantes infidelium contra parentum voluntatem non ſunt baptizandi; Chriſtianorum verò, juxta generalem Chriſti regulam Ioh. III, 5; Matth. XXIIX, 19; & perpetuam conſtantemq; veteris Eccleſiæ praxin, nullâ interpoſitâ morâ, quæ in periculum moriendi ſine baptiſmo conjiciat.

XXXIIX. Si tamen infantes fidelium, baptiſmum morte ita antevertant, ut conferri humanâ induſtriâ nequeat, ibi deſiderium ac votum parentum, prolem ſuam pijs precibus Deo commendantium, pro ipſo facto imputatum iri exiſtimamus.

XXXIX. Sicut nullibi in S. Scripturâ de iterando baptiſmo præceptum reperitur, ita iterandum eſſe negamus. Et hactenus naturalis generatio cum ſupernaturali convenit, quòd ſicut una eſt generatio carnalis, ita etiam una eſt ſpiritualis per ſacramen-

mentum regeneratio. Quæ itidem Regeneratio dicitur, quòd generatis tantùm conveniat.

XL. Qui post acceptam in baptismo gratiam contra conscientiam peccant, & gratiâ excidunt, redire possunt ad eam interventu seriæ pœnitentiæ.

XLI. Intentio ministri quatenus ad hunc actum necessaria est, ita ab eo subtrahi non potest.

XLII. Finis aut potiùs effectus baptismi est remissio peccatorum, regeneratio ac renovatio; & non tantùm in signo, sed etiam reapse & cum effectu. Hinc Act. 11, 38; *Baptizetur unusquisq; vestrûm in remissionem peccatorum:* & Act. XXII, 16; *Baptizare & ablue peccata tua.* Hinc baptismus appellatur *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti,* sive per Spiritum sanctum factæ, Tit. III, 5. Qui titulus baptismi sicut præ alijs augustus est, ita à summo auctore, nempe à Spiritu sancto per Apostolum loquuto profectus. Synodus Nicæna appellat πνευματικὸν λουτρὸν, canone secundo. Adscribemus etiam titulos sive elogia, quæ ei tribuunt veteres alii. Cyrillus Ierosolymitanus Procatechesi: Μέγα τὸ προκείμενον βάπτισμα, αἰχμαλώτοις λύτρον· ἁμαρτημάτων ἄφεσις· θάνατος ἁμαρτίας· παλιγγενεσία ψυχῆς· ἔνδυμα φωτεινόν· σφραγὶς ἁγία,

gnum est hoc quod proponitur baptisma: captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, currus ad cœlum, delitiæ paradisi, regni cœlestis conciliatio, charismas adoptionis filiorum. Basilius magnus homiliâ XIII, quæ est Exhortatio ad baptismum: Baptismus est αἰχμαλώτοις λύτρον, ὀφλημάτων ἄφεσις, θάνατος ἁμαρτίας, παλιγγενεσία ψυχῆς, ἔνδυμα φωτεινόν, σφραγὶς ἀνεπιχείρητος, ὄχημα πρὸς οὐρανόν, βασιλείας πρόξενον, υἱοθεσίας χάρισμα. *captivorum redemtio, debitorum remissio, peccati mors, animæ regeneratio, amictus splendens, signum quod nulla fraude adulterari potest, vehiculum ad cœlum, regni cœlestis conciliatio, adoptionis gratia.* Gregorius Nazianzenus sub initium orationis XL, quæ est de baptismo: τὸ φώτισμα (sic vocat baptismum) λαμπρότης ἐστὶ ψυχῶν. *Baptismus, qui illuminatio appellatur, splendor est animarum, vitæ in melius mutatio, conscientiæ ad Deum interrogatio. Baptismus infirmitatis nostræ adjumentum. Baptismus carnis est abjectio, Spiritus assectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis profectio, cœlestis*

regni

regni clavis, vitæ commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conversio. Quid plura commemorare attinet? Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarißimum est & præstantißimum. Etenim quædam sancta sanctorum vocantur, & Cantica canticorum, quòd scilicet latiùs pateant ac plura complectantur, præcipuamq; dignitatem habeant: eodem modo baptismus quoq; Illuminatio dicitur, quòd omnes alias illuminationes sanctitate superet. Quemadmodum autem Christus, hujus dator, multis ac diversis nominibus appellatur, ita ipsum quoq; donum varia nomina sortitur: sive id nobis ob miram quamdam rei lætitiam accidat, sive quòd multiplex huius beneficii utilitas multas quoq; appellationes nobis pepererit. Donum vocamus, gratiam, baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum, ac deniq; excellentißimo quovis nomine appellamus. Donum dicitur quia iis, qui nihil priùs contulerunt, datur. Gratia, quia etiam debentibus. Baptismus quia peccatum in aquâ sepelitur. Vnctio, quia sacer & regius. Huiusmodi enim ea erant, quæ ungebantur. Illuminatio porrò, quia splendor & claritas. Indumentum, quia ignominiæ nostræ velamen est. Lavacrum, quia abluit. Sigillum, quia conservatio est, ac dominii index. Huic gratulantur cæli: hunc angeli propter splendoris cognationem celebrant: hic

dem & hymnis celebrare volumus, verùm pro rei dignitate non possumus. Augustinus libro Confessionum nono, cap.ult. vocat *aquam salutis.* Idem primo De peccatorum meritis, cap.xxiv: *Optimè Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quàm SALUTEM, & sacramentum corporis Christi nihil aliud quàm VITAM vocant.*

Tom. 2. græcolat. Paris. pag.798.

XLIII. Gregorius Nyssenus oratione in diem luminum, quo baptizatus est Dominus noster: Βάπτισμα ἐςὶν ἁμαρτιῶν κάθαρσις, ἄφεσις πλημμελημάτων, ἀνακαινισμοῦ καὶ ἀναγεννήσεως αἴτιον. *Baptismus est purgatio peccatorum, remissio delictorum, renovationis & regenerationis caussa.* Ibidem ex Vetere testamento producit varios baptismi typos: nempe quòd Ismaël usus aqua ab Angelo ostensa ad se redierit; quòd Eleazar Abrahami servus Rebeccam apud aquam deprehenderit; quod Isaac puteos foderit, quos obstruerent alienigenæ, ut hæretici baptismum; quòd Iacob Raheli apud aquam occurrerit; quòd baculis in aquâ positis Labanis greges ad se transtulerit, sicut per baptismum Deo vindicentur, qui diabolo serviebant; quòd Moses aquæ impositus; quòd Israëlitæ per mare rubrum transierint, submerso Pharaone; quôd Iosua populum per Iordanem in terram promissam deduxerit; quòd Elias super-

superfusâ aquâ sacrificium incenderit: ubi enim sit aqua mystica, ibi esse spiritum vivificum, igneum & ardentem; quòd Naaman leprosus jussu Elisæi in Iordane laverit & mundatus sit. Sed hæc apud ipsum, qui volet, videre poterit.

XLIV. Vnum adhuc obiter addo, & sic finio. Yucatanenses populi sunt Americani in peninsulâ juxta Novam Hispaniam. De iis subjicio quæ memorat Iohannes de Laet Descriptione novi orbis sive Indiæ occidentalis libro v, cap. xxvi. *Notandum*, inquit, *ab Hispanis narrari, quòd in hac solùm provincia baptismi quamdam umbram invenerint, quam indigenæ sub idiomate secundam nativitatem appellarent: quem vix quisquam illorum frustra negligeret, quum se ablutione illâ omnium virtutum seminio imbui & adversus noxiorum dæmonum dolos atque injurias præmuniri opinarentur. A tertio autem ætatis anno usq; ad duodecimum ut plurimùm abluebantur, nec matrimonia contrahebant nisi antè initiati. Diem ad id operiebantur auspicatum, minimeq; nefastum, parentesq; & triduo antè jejunabant, & à fœminarum consortio abstinebant.* Hæc ibi: quæ arguere videntur populos illos è terris Christianismo imbutis in Americam olim trajecisse; vel certè Satanam apud homines sibi obnoxios dedi-tosque sacramentum à Christo institutum per quam-

dam æmulationem exprimere voluisse: quod de Euchariſtiâ eum feciſſe tum apud Peruanos tum Mexicanos exiſtimat & narrat Ioſephus Acoſta in Hiſtoriâ morali occidentalis Indiæ libro v, cap. xxiii & xxiv. Et hæc de baptiſmo, aliàs uberiùs tractanda, nunc ſufficiant.

ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ.

